Müller

(16)

37928/P

J. C. Burnett

Glandes Quernae

= (quercinae)

SVSPICIOSAS
GLANDIVM QVERNARVM
LAVDES MEDICAS

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ERFVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR. SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

AD D. IVLII CIↃIↃCCLXXVIII.

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICE REPVTAT

AVCTOR

IOANNES IACOBVS MÜLLER,

GREIFFENBERGENSIS POMERANVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,

E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



PROOEMIVM.



Quotiescunque medicorum, noſtra aetate viuentium, indefeſſa in exquirendis nouis, recolendisque antiquis remediis, a ſalubri efficacitate commendabilibus, ſtudia tacite mecum reputo, toties in admirationem curae horum virorum diligentiaeque animum agi ſentio,



ſimul tamen ſatis mihi temperare nequeo, quin in tanta rerum nouarum recultarumque vbertate luxuriem quandam ineſſe exiſtimem, acriori cura denuo depaſcendam. Quis enim tot noua, tot a veteribus repetita enumeret medicamenta, quot nuperorum viginti annorum induſtria materiae, quam nos dicimus, medicae vindicauit? Quid memoremus cicutam, hyoſcyamum, ſtramonium, aconitum, flammulam Iouis, dictamnum, pulſatillam, colchicum, gratiolam, vuam vrſi, phellandrium, cynapium, et cetera? Quid *querneas* dicamus *glandes*, quarum paene mirifica in reſerandis glandularum obſtructionibus efficacitas nuperrime admodum magno laudum apparatu eſt celebrata? Adeo, vt huius remedii

dii vindex ſtatorque, ob ſeruatos ciues, merito ciuica, hoc eſt, quernea corona dignus exiſtimari poſſet. Verum enim vero, vtcumque haec ſint, tamen ampliſſimae iſtae laudes ſuſpicione non carent: quandoquidem pluribus medicis clinicis non licuit eſſe adeo felicibus, vt attente circumſpecteque adhibitarum glandium quernarum effectus exſpectationi reſponderet. Proinde, ſpecimen quoddam ſollemne medicum in praeſentia apparaturus, dignam hanc exiſtimaui materiem, quae ſingulari tractaretur opera: non, vt carpendi pruritui ſatisfiat, ſed vt pures medicorum ad explorandas obſeruandasque veras, genuinas, conſtantesque glandium virtutes medicas inde excitentur. Eo conſilio paſſim glandibus tributas ma-

nae efficacitatis medicamentoſae laudes *primo* complectar *capite:* quae medentis ſpem fefellerunt, aliquot exempla *altero* additurus, ſimulque rationes dubiae inconſtantisque huius virtutis, quoad eius fieri poterit, breuiſſime inueſtigaturus.

Votum ſecundet, qui poteſt, noſtrum Deus.
SENECA.

SEC-





SECTIO PRIOR,

DE GLANDIVM QVAERNARVM VIRIBVS MEDICIS HACTENVS CELEBRATIS.

---

§. I.

Praemonenda quaedam de glandibus.

De quibus nunc breuiter differere instituimus, *glandes* sunt fructus arboris cuiusdam peruulgatissimae, quae est *quercus cum longo pediculo* CASPARI BAVHINI, et *quercus robur*, foliis deciduis oblongis, superne latioribus; sinubus acutioribus; angulis obtusis, CAROLI LINNAEI: a quo summo nuper botanico classi inseritur, quam ipse *monoeciam polyandriam* dixit. Magnam huius arboris partiumque inde decerptarum iam pridem apud antiquos medicos fuisse existimationem, haud difficulter ex veterum monumentis demonstratum essemus ituri, si vacaret. Inprimis adstringens vrinamque maciens facultas, quae in quercu eiusque partibus maxime est conspicua, effecit, vt iam ab antiquis temporibus *cortex*, *folia*, *glandes*, *cupulae* atque *gallae* quer-

 

quercuum in tabernis medicamentariis conferuarentur. Atque hoc etiam nomine externus aeque, ac internus querneorum medicamentorum vfus iam apud HIPPOCRATEM, THEOPHRASTVM, ERESIVM, DIOSCORIDEM ANAZARBAEVM, C. PLINIVM SECVNDVM, CL. GALENVM, aliosque paffim deprehenditur laudatus commendatusque. Quorum omnium fententias cum concinne ftrictimque expofuerit IACOBVS DALECHAMPIVS, aut quisquis eft *hiftoriae vniuerfalis plantarum Lugdunenfis* auctor *a*), lectorum venia haec ipfa verba hic fubiungemus. *Quercus omnis*, inquit ille, *adftrictoriam vim habet, praefertim liber, qui cortici et ligno intercedit: quin etiam tunica, putamini glandis fubiecta. Decoctum ex iis datur dyfentericis, coeliacis, fanguinem exfcreantibus. Trita in peffo feminis, fluxione vuluae laborantibus, fubiicitur. Glandes eosdem effectus exhibent, vrinam ciunt, capitis dolorem et flatus in cibum fumtae pariunt, refiftunt efitatae venenatorum ictibus. Decoctum earum et corticis cum lacte vaccino potum, prodeft contra toxica. Intritae crudae inflammationes illitu leniunt: ad duritias, quas cacoethes vocant, et malefica vlcera cum falfa axungia conueniunt. Haec* DIOSCORIDES. GALENVS *vero, quercus partes omnes, inquit, adftrin-*

a) In *libr.* fupra *allegat.* pag. 12.

ſtringentis facultatis participes ſunt: ſed plus tamen, quae in trunci cortice membrana ſubeſt; tum, quae ſub glandis ipſius, non calyculo, vt Gerardus interpres habet, ſed putamine eſt, ea videlicet, quae fructus carnem conueſtit. Quam ob rem ad profluuium muliebre, ſanguinis exſpuitiones, ventrisque diuturnos fluxus commodam eſſe credunt. Maxime vero ea vtuntur decocta. Ego quandoque glutinaſſe me vulnus memini, ſecuri inflictum, cum nullum adeſſet ad manum medicamentum, praeter ipſius quercus folia. Terebam ea in laeui ſaxo, et vulnus omnemque vicinum locum illinebam. Eandem cum foliis vim habet et fructus quercus, eoque medici nonnulli ad incipientes et creſcentes vtuntur phlegmonas. HIPPOCRATES *praefocationi vteri folia quercus adhibet in ſuffitu. Glandium eſum vrinam ciere, etiam vulgo notum eſt: quod adſiccatas iſtas in vſum adſeruat, ſi quis vrinae difficultate tentetur, vſurpandas.* Haec ille.

§. II.

Nuperae quaedam glandium laudes.

Verum enim vero licet tot tantaeque medicamentorum querneorum laudes diu adhuc poſteris temporibus inter *Arabes* et vulgo ſic dictos *la-*

 tino-

tino-barbaros medicos *b*) conſtarent; ſenſim tamen, noſtra patrumque memoria, euileſcere coeperunt, poſtquam, inter noui orbis ſpolia, variorum quoque remediorum genera, quernearum partium virtutes non aequantia ſolum, ſed etiam ſuperantia, in pharmacopoeorum tabernas, ſunt illata. Quo nomine in exemplum excitamus corticem Peruuianum ſiue *Chinchonam* LINNAEI, corticem caſcarillae, ſiue *Croton* LINN. et corticem Simarouba ſiue *Burſeram* LINN. Sed, vt fit, noſtra quoque aetate veriſſimum deprehenſum eſt illud HORATII: *Multa*, dicentis, *renaſcentur*, *quae nunc cecidere*, *cadentque*, *quae nunc ſunt in honore.* Admodum nuper enim celeberrimus in Marburgenſi vniuerſitate litteraria Profeſſor medicus, FRID. IOS. GVIL. SCROEDER, priſtinum quercui inter medicos honorem reſtituere, eiusque glandes optimi reſoluentis obſtructasque glandulas aperientis remedii loco habere

b) His quoque adnumerandus eſt ARNOLDVS ille *Villanouanus*: cuius *Tractatum de virtutibus benedictae quercus* nuper in bibliotheca auguſta Guelpherbytana deprehendit, breuiterque recenſuit vir celeberrimus G. E. LESSING. Conf. viri clar. MARCVS HERZ *Briefe an Aerzte*; I. Saml. pag. 211. ſeq. qui profecto per iocum tantummodo inſimulare videtur SCHROEDERVM plagii in ARNOLDVM hunc commiſſi: cum ipſe ARNOLDVS exſcripſerit ea, quae iam a THEOPHRASTO, DIOSCORIDE, atque PLINIO relata leguntur.

habere conatus eſt *c*). Cuius virtutis notitiam vtrum ipſe ſuo eruerit ingenio, an aliunde repetierit? neque intereſt lectorum, neque diſceptare noſtrum exiſtimamus. Proxime ab hoc, niſi fallimur, clariſſimus apud Hanoueranos medicus, D. MARX, ſingulari commentatione *d*) efficacitatem glandium medicam in infantum atrophiis mirifice laudauit, propoſitisque exemplis dedit confirmatam. Poſt ea porro itidem praeſtantiſſimus vir, qui Dethmoldae medicinam facit, SIMON HENRICVS ADOLPHVS KEISER, de eodem glandium vſu antatrophico ſingulariter diſſeruit, nouoque optabilis euentus exemplo firmauit *e*). Quo ex tempore dein in pluribus commentariis litterariis medicis celebratae ſunt glandes, ſimulque in multorum medicorum clinicorum vſum frequentationemque venerunt.

§. III.

Actuoſae glandium partes.

Ante omnia autem quaeri oportet, quaenam actuoſae inſint glandibus particulae, quibus tantae, tamque

c) In epiſtola, ad illuſtrem BALDINGERVM transmiſſa: *Von den Wirkungen der Eicheln, Verſtopfungen der Drüſen im menſchlichen Koerper aufzulöſen*; Goettingae, CIↃIↃCCLXXIV.

d) In *dem Hannoeuueriſchen Magazin*, d. XXVI. Decembr. CIↃIↃCCLXXIV.

e) In *dem Vnterricht von dem Nutzen und beſonderer Heilungskraft der Eicheln*; Lemgouiae, CIↃIↃCCLXXV.



tamque efficaces in humano corpore virtutes debentur acceptae. Qua ſuper re primo audiamus ipſum celeberrimum SCHROEDERVM, glandium reſtitutorem, ea quippe, quae ſagaci velut naſo in iisdem indagauerit, ingenúe exponentem *f*). Poſtquam igitur ille ipſe praemonuit lectores, non fortuiti experimenti, ſed ſollertis meditationis accurataeque ratiocinationis opus hoc ſuum eſſe inuentum *g*), porro refert: ad tollendam glandularum obſtructarum, vel ipſarum ſcirrhoſarum, obturationem duplici opus eſſe remedio, altero, quod glandulosis vaſculis impactam materiem viſcidam tenacemque diſſoluat, ſolubilemque et fluidam reddat; altero vero, quod relaxatis atque debilitatis minimorum iſtorum vaſculorum tunicis robur irritabilemque vim reparet reſtituatque. Neque ſufficere horum remediorum alterutrum, licet interdum medicatrix natura humani corporis, quod defuit, addidiſſe ſit viſa. In omni porro medicamentorum, vtraque dicta virtute medica hactenus conſpicuorum, apparatu, quem ipſe breuiſſime recenſet, nihil, addit, deprehenſum fuiſſe aptius et ob faciliorem ad ipſas

f) In *libelli citati* Sect. I. pag. 8. ſeq.

g) Qua de re non litem mouebimus cum aliis optimo SCHROEDERO, ſi reſerandarum glandularum obſtructarum virtus ſpectetur.

ipſas obſtructas glandulas transgreſſum commendabilius, quam ipſam iſtam *portionem gummoſam*, quae a natura glandibus eſt indita. Hanc autem aquoſae decoctionis ope ex glandibus extractam ſeparatamque portionem adfirmat eſſe materiem viſcidam gummeo reſinoſam et ſemiſulphuream, omni acore carentem. Ad quae porro addit *h*), tantam viſcidi cuiusdam humoris copiam huic inhaerere extracto, vt, niſi ille ſuperfluus maximaque ex parte noxius humor, dum vſui apparantur glandes, ſeparetur, certiſſime fore, vt ab eius vſu aut diſſoluantur nimis humores animales, aut iuſto magis ſpiſſentur. Quam viſcidam materiem forte conuenire exiſtimat cum natura atque indole eius, quae croco, opio, cicutaeque ineſt, quamque medici veteres humidum ſulphur appellarunt. Ergo corrigendi atque ab hac noxia parte liberandi glandium decocti methodum ſequentem praeſcripſit celeberrimus SCHROEDERVS *i*): Seliguntur glandes optime maturae, nec dum carie infeſtatae, decorticataeque, vnde in duas portiones dehiſcunt, leniter ſiccantur. Tum porro moderate torrentur ſub perpetua agitatione: ita tamen, vt ſollicite caueas, ne aut exurantur, aut in ſummam redigantur ſiccitatem. Cui

h) In *libr. citat.* pag. 19.

i) *Ibidem.* pag. 23. ſeq.

vſui optime inſeruit machina iſta ferrea peruulgatiſſima, Coffeae toſtioni apta, (*Coffeetrommel.*) Teruntur denique haud aliter, ac Coffea, conſueto more. Harum igitur toſtarum tritarumque glandium ſemunciae, ſingulas in doſes, infunditur aqua feruida, protinus denuo per linteum bibulamue chartam colanda; ſicuti nunc in comparando Coffeae potu moris eſſe ſolet. Quod infuſum, quo minus partim nauſeam bibentibus excitet, partim incommodet ventriculo, parte quadam neruis amica haud inopportune augeri poteſt, ipſis nempe Coffeae vulgo ſic appellatis fabis, ex more toſtis commolitisque. Semunciae glandium conueniunt duae Coffeae drachmae. Atque hanc adhibendarum glandium methodum dein ſequuti ſunt ſupra iam cum honoris praefatione nominati viri, MARX, KEISER, MARCVS HERZ, aliique medici clinici. Ego vero antea, quam ipſe, quantum viribus in aegrotantium corporibus valerent glandes querneae, experirer, non ſuperuacaneum exiſtimaui, meis conſpicere oculis, quasnam potiſſimum particulas glandium mixtioni naturae diſpenſatio indidiſſet. Probe autem conſcius, vegetantium naturalem miſturam ſaepenumero a natalis ſoli diuerſa indole mirifice mutari, id egi, vt ex quercubus, hic arenoſa, illic lutoſa argilloſaue, iſtic vero pingui in terra naſcentibus, ſeligerem glandes,

des, ſimulque omnes, tam ſimpliciter ſiccatas, quam moderate toſtas, examini ſubiicerem. Menſtruis, quae chemici vocant, vſus ſum, cum aqua feruida, tum vini alcohole. Singulae glandium doſes examinandae fuerunt quatuor vnciarum: ſingulisque infuſa portio feruentis aquae duodecim vnciarum, totidemque alcoholis. Vtrumque poſtea menſtruum, leni digeſtione in extrahendis particulis adiutum, denuo moderatiſſimo igne in auras eſt abactum; quo relicti extracti, in magma fere ſolidum ſpiſſati, copia definiri poſſet. Hac igitur ratione obtinui ex glandibus arenoſi ſoli vncias duas et drachmas tres ſcrupulumque dimidium extracti gummoſi, amaro et ſubadſtringente ſapore praediti, neutiquam tamen nauſeoſi; vnciam vero vnam et ſeſquidrachmam cum ſex granis extracti cuiusdam reſinoſi, itidem amaricantis, ſed minus adſtringentis, ceteroquin autem nauſeam facile excitantis. Glandium in argilloſa terra natarum extractum gummoſum erat duarum vnciarum totidemque drachmarum vna cum quinquaginta granis; reſinoſum vero aequabat pondus fere ſeſcunciae: ceterum ſapor cum priori conueniebat. Quas denique pinguis aluerat humus, glandes gummoſum dabant extractum duarum cum ſemiſſe vnciarum; reſinoſum vero vnius tantum vnciae ſupra quatuor ſcrupulos. Reſinoſi inprimis hu-

ius



ius extracti ſapor prae reliquis plurimum erat amarus atque nauſeoſus. Quae ab omnibus his extractionibus ſupererat, terra deprehendebatur iners, fatua, et omni ſapore odoreque carens. Ad easdem rationes examinatae diuerſae iſtae glandes, toſtione apparatae, haud quidem adeo minus vtriusque ſuppeditarunt extracti, perditis quippe vix ſex ſeptemue granis: ſed colato inprimis infuſo, poſtquam abſolute refrixerat, innatarunt aliquot guttulae olei cuiusdam empyreumatici, valde acris et amaricantis. Semiſulphureum vero iſtud, quod celeberrimus SCHROEDERVS hic obſeruauerat, quodque cum vaporoſo principio aliorum medicorum conuenire videtur, hic nusquam deprehendi.

§. IV.

Virtutes medicae, exemplis confirmatae.

Verum enim vero, quae hactenus de primariis glandium partibus expoſuimus, (§. III.), ita ſunt comparata, vt profecto Oedipum te eſſe oporteat, non Dauum, ſi, praeter virtutem aliquam tonicam et ſubadſtringentem, aliarum virium quidquam ſubolfacere poſſis. Ciendae enim vrinae efficacitatem, veteribus iam cognitam, facillime ex adſtrictione deriues. Sed ſubolfacere, immo per

ratio-

cinationes eruere longe aliam nobiliorem virtutem ſibi viſus eſt optimus SHROEDERVS; virtutem nimirum, ſingulari quodam irritamento plenam; non eo, quod iuſto celerius aluum trahat, ſed quod longiori mora pedetentim in ſubtiliſſimos humani corporis canales irrepat, ibidemque conſtanti niſu quemcunque humorum lentorem diſſoluat moderatiſſimamque vim tonicam ſolidis ſenſim inferat. Cuius actionis teſtem, monente SCHROEDERO, habemus ſingularem illum viſcidulum foetentemque ſudorem, ab vſu huius remedii plerumque accedentem *k*). Hanc ergo efficacem glandium vim reſoluentem intuentes SCHROEDERVS aliique clariſſimi medici earundem vſum in diuturnis longeque grauiſſimis morbis experiri coeperunt. Quorum experimentorum breuiſſimam ſyllogen, lectorum venia, hic ſumus daturi. In ſuo ipſiusmet corpore prima huius rei tentamina inſtituit SCHROEDERVS. Corpus ipſius ſumme imbecille, a ſedentario vitae genere profundisque meditationibus debilitatum, veniſque turgidis et plerisque externis glandulis tumentibus atque induratis plenum, vnde haud diſſimilis internarum adfectio coniici poterat, vix octo dierum interuallo, poſtquam huius remedii fuerat vſus,

 denuo

k) In *libr. citat.* pag. 17 et 20.
l) *Ibidem*, pag. 28.

denuo mirifice eſt refocillatum confirmatumque, diſcuſſa ſimul atque diſſoluta glandularum obſtructione *l*). Quinquennis puellae corpuſculum, quod extrema conſumſerat atrophia, quodque vmbram paene dixeris, niſi turgidum durumque abdomen ſiccatumque a tabe dorſum contraria declaraſſet, hauſta quotidie haec ex toſtis glandibus potio, vix elapſis aliquot hebdomadibus, in integram reſtituit ſanitatem *m*). Eadem glandium ſaluberrima efficacitas conſtitit quoque in alio quodam homine, cui erat *dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent, oſſa ſub incuruis exſtabant arida lumbis.* Mox enim atque manifeſto ab vſu noſtri remedii tetrum hunc depoſuit morbum *n*). Eodem medicamento alium quendam aegrotum a turpiſſima ſcabie, leprae haud adeo diſſimili, breue intra tempus efficaciſſime liberauit SCHROEDERVS *o*). Neque in aliis exanthematibus, ſpeciatim in variolis difficulter ſuppurantibus, et furunculis copioſis vehementerque dolentibus, inefficax glandium deprehenſa eſt virtus *p*). Quid? quod eaedem arthriticum potenter alleuaſſe exiſtimari poſſent, niſi ſimul datum quoddam remedium mercuriale martiatum noſtris glandibus dubiam redderet palmam *q*). Quid dicam de atrociſſima

m) *Ibidem*, pag. 30. *n*) *Ibidem*, pag. 31. *o*) *Ibidem*.
p) *Ibidem*, pag. 32. *q*) *Ibidem*, et pag. ſeq.

cissima illa lue venerea, et summo adfectus hypochondriaci gradu, iam in cachexiam grauissimam conuerso? Quod vtrumque malum a paullo protractiori huius medicamenti vsu penitus sublatum refertur r). Qua super re fides sit penes SCHROEDERVM: qui ex vniuerso hoc experimentorum apparatu statuit, in omnibus glandularum, immo ipsorum quoque viscerum, obstructionibus infarctibusque nec potentius efficaciusque, nec praesentius esse remedium, quam ipsas glandes.

§. V.

Idem argumentum.

Cum, quae omnia de glandium eximio vsu passim commentatus est clarissimus apud Hanoueranos medicus, *D. Marx*, nobis ad manus nunc non sint, duo tantummodo illa memorabilia tabidorum aegrotantium exempla in *promtuario*, quod dicitur, *Hanouerano* s) descripta, breuissime hic subiungemus. Infanti bimulo, in summum atrophiae gradum deducto, adeo, vt nec vllum omnium istorum pessimorum sypmtomatum, infantilem hanc pestem designantium, deesset, et in quo vel optimorum selectissi-

r) *Ibidem*, pag. 33.

s) Ann. cIↄIↄccLXXIV. ad de XXVI. Decembr.

lectiſſimorumque medicamentorum iners fuerat efficacitas, ſolum toſtarum glandium, Coffea remixtarum, infuſum, et lacte ſaccharoque gratius redditum, vix praeterlapſis tribus hebdomadibus ſymptomatum alleuamentum, trium vero menſium interuallo integerrimam attulit ſanitatem. Longe autem memorabilius exemplum propoſuit femina fere quinquagenaria, in qua mirificam omnino, ne dicam portentoſam vim oſtenderunt glandes. Quippe poſt biliofam febrem ex lenta tabe marceſcentem conſumebant internus cum ſicca cute ardor, vna alteraue poſt paſtum hora ingraueſcens, effuſiſſimusque a primo ſtatim ſomno ſudor. Extremi periculi teſtes erant arteriarum pulſus paruus, mollis, et celer; oris ſiccitas cum ſiti perpetua; nigricans linguae cruſta; abdomen inflatum, durum, et a tactu dolens; vrina turbida, oleoſa, mutabilisque coloris; aluus adſtricta, ſolisque clyſmatibus excitanda; oedemata; dyſpnoea cum ſicca tuſſi; menſtrua deficientia, aut dolorifica; feces aluinae ſaepe numero purulentae: vnde fieri non poterat, quin facies aegrotae euaderet Hippocratica. Ergo huic datum eſt glandium, cum octaua fabarum Cacao parte remixtarum, decoctum, lacte temperatum, quotidie hauriendum. Glandium doſis in ſingulos dies erat vncia. Quis crederet, tantam tot diriſſimo-

rum

rum malorum complicationem quinque hebdomadum ſpatio prorſus euanuiſſe, niſi ipſa res, exemplo firmata, fidem feciſſet? Sed *Keiſeriano* quoque experimento probata eſt glandium efficacitas *t*). In bienni enim infantulo, cui aeque, ac bimulo iſti priori, tota ſymptomatum atrociſſimorum atrophicorum incubuerat cohors, corpuſculumque enerue effecerat atque ſumme exhauſtum; quotidiani potus loco datum hoc et cum lacte ſaccharoque mixtum glandium infuſum non ſolum, interiecto ſex hebdomadum interuallo, quae maxime infeſtabant, ſuſtulit ſymptomata, ſed etiam inſignem inteſtinalium vermium expulit copiam: adeo, vt dehinc prorſus recuperandae ſanitatis ſpes ampliſſima ſit facta. Agmen harum obſeruationum clinicarum claudant aliquot exempla aegrotantium, ex adfectibus leucophlegmaticis laborantium, in quibus glandes, praedicta methodo applicatae, inſuperque cortice Peruuiano interpolatae, obſeruante clariſſimo medico Berolinenſi, MARCO HERZ *u*), eximie profuiſſe ſunt viſae. Ex his aegrotis duae in adfectiones leucophlegmaticas, intermittentes poſt febres, inciderant; tertia vero a diu protracta linteorum lotione et admiſſa ſimul graui iracundia. In omnibus

 bus

t) In *libell.* iam *citat.* pag. 15. ſeq.
u) In *epiſtol. allegat.* pag. 180. ſeq.



bus singulisque his a nostri medicamenti vsu mox cesserunt leucophlegmatica symptomata: quae nunc sigillatim exponere, superuacaneum existimamus, quoniam *Herzianis epistolis*, quippe facile parabilibus, haud quenquam medicorum cariturum esse arbitramur.



SECTIO POSTERIOR,

EXEMPLA PRIORIBVS CONTRARIA RECENSENS.

§. VI.

Praemonenda quaedam.

Verum enim vero iam antiquissimae et inter omnes medicos clinicos spectatae est obseruationis, nullius medicamenti, si vel optimum praestantissimumque seligas, absolutam constantemque esse efficacitatem, sed cuiuslibet actionem a variis multiplicibusque caussis concurrentibus, et ipso inprimis corporis aegroti habitu naturaque, speciatim disponi definirique. Caue igitur, ne et glandibus nimium

mium tribuas, nimiumque credas colori. Nae! enim ex mixtionis, glandibus a natura praeſtitutae, conditione vix eminentiſſimam illam vim reſoluentem euoluturus eſſes, niſi experimenta rei fidem feciſſent. Proinde et iisdem fides deneganda non eſt, ſi, vt fit, interdum prioribus experimentis contrarios effectus demonſtrant. Nam perinde proſunt notitiae eorum, quae nocuerunt, ac eorum, quae profuerunt. Atque hac etiam ratione efficitur, vt, collatis comparatisque inter ſe ſalutaribus noxiisque eiusdem remedii effectibus, iuſtum denique verumque eidem ſtatui poſſit pretium. Nimias iſtas glandium, ob reſoluendarum obſtructionum glanduloſarum virtutem, celebrationes certe ſuſpicioſas reddiderunt varia exempla, in quibus eaedem ipſae medicorum ſpem exſpectationemque fefellerunt. Ingenue, vt eſt veri amans, fatetur clariſſimus MARCVS HERZ *x)*, amico ſuo, D. MARXIO, vni ex praecipuis glandium praeconibus, ſemet ipſum nec in hydropibus, nec in catochis, nec in rhachitidibus, nec in chronicis tuſſibus aliquid vidiſſe vnquam adiumenti, quod glandium toſtarum infuſo in acceptis fuiſſet referendum: immo, nec illas ipſas, quas recenſuit, adfectuum leucophlegmaticorum curationes ſolis deberi glandibus, ſed coniuncto ſimul cortici

x) *Ibidem*, pag. 179.



cortici Peruuiano. Sed in glandularum quoque obstructionibus efficacitatem glandium, hoc alioquin nomine inprimis celebratam, haud raro defecisse, sequentia docebunt exempla.

§. VII.

Aliquot exemplorum recensio.

Quatuor annorum puella iam ex sesquianno sensim tabescere coeperat, captis ex nocturna, sub aestuosa aestatis tempestate, refrigeratione atrophiae initiis. Eo ex tempore enim frequentes primo interuenerant serosae alui fluxiones, deprauataeque alimentorum assumendorum rationes: tum accesserat lento progressu febricula nocturna, adeo denique ingrauescens, vt nunc iam integrorum quatuor mensium spatio nulla remissione alleuaretur. Femorum brachiorumque summa erat macies, abdomen contra turgidum, inflatum, impressioni renitens, nodisque distinctum. Facies conspiciebatur Hippocratica. Linguam albicans tegebat crusta. Paruo, debili, mollique ictu micabant arteriae; lotium emittebatur crudum, mox tenue, mox sublacteum. Sudores frequentes et effusi. Aluinae excretionis inconstans ordo ratioque: ipsae feces mox siccae et induratae, mox fluidae mixtiquae coloris. Ad haec

aegrotam

aegrotam vexabant frequentes inteſtinorum cruciatus et perpetua fere atque ſicca tuſſis. Quibus maſolis omnibus tandem corporis animique vires abſolute ſunt exhauſtae. Ergo, tot glandium in huius generis morbis proficuarum laudes intuitus medicus, cuius opem nunc implorabat aegrotae mater, in ſingulos dies ſemunciam toſtarum glandium, modica Coffeae portione mixtarum, praeſcripſit, eiusque miſti pulueris infuſum, lacte temperatum, conſueti potus loco haberi iuſſit. Sed defuit ſpei hic vſus. Prima enim iam hebdomade aluus, alioquin inconſtantis obſequii, penitus ſiccari coepit, ſolis enematibus denuo emollienda: nec vrinae ſatis expeditum erat profluuium, et, quae exibat, aqueae erat limpiditatis. Praeter abdomen, etiam ſuperiores inferioresque artus oedemata contrahebant. Continuato nihilo minus dicti remedii vſu per tres adhuc hebdomades omnia in peius ruere ſunt viſa, nec interpoſita Chinchonae admixtio coërcuit, aut ſaltem mitigauit malum. Tuſſis enim priſtina in ſpaſticum aſthma, ſuffocantisque catarrhi initia tranſiit, intenſa eſt febris, aluus nunquam non clauſa, et extremum ſucceſſit virium decrementum. Quinta igitur hebdomade abſtinuit medicus inutili medicamento, et ſero lactis dulci, leniter chinato y),

D primo,

y) Corticis Peruuiani drachmae tres in ſingulos dies ſunt datae.

primo, quoad eius fieri potuit, refocillauit aegram. A quo cum iterum aluus leuiter laxaretur, febrisque post duodecim circiter dies denuo remitteret, decresceretque asthma, dicto lactis sero iunctae sunt pilulae, ex cicutae extracti quinque granis vnicoque mercurii dulcis martialis grano z) compositae, quotidieque vesperi aqua solutae infanti datae. Abdomini vero ea parte, qua potiores tactu deprehendebantur nodi, superimpositum est de cicuta emplastrum, oleo seminis hyoscyami expresso subactum. Atque haec medendi ratio tandem vndecim hebdomadibus elapsis, vt conualesceret aegra, effecit. Noli autem existimare, nos in vnico tantum exemplo exspectata glandium efficacitate esse destitutos: idem enim in quinque aliis infantibus atrophicis nobis accidit, neque ea contigit nobis felicitas, vt vel vni aegrotantium, atrophia vexatorum, glandium vsu aliquid adferremus adiumenti.

§. VIII.

Idem argumentum absoluitur.

Supererat, vt, meliusne forte efficaciusque in adultis hominibus glandes exspectationi satisfacturae sint,

z) Confer optimi PRAESIDIS *dissert. de mercurio dulci martiali*, hic ann. CIↃIↃCCLXXIV. emissam.

ſint, nec ne? experimentis declararetur. Opportune ſeſe obtulit virgo, viginti duo annos nata, robuſti corporis, viuidique in vultu coloris, legitimeque ex catameniis purgata, neque quidquam, quod ceteroqui valetudini eſſet aduerſum, experta. Huic autem, poſtquam a nimio motu incaluerat corpus, admiſſum in graui frigidi aëris tractu refrigerium tumores parotidum et nonnullarum glandularum ceruicalium ſubaxillariumque ſatis inſignes attulerat, ab intempeſtiuo *aquae Goulardianae ſaturninae* vſu in perfectos ſcirrhos mutatos. His ergo ſcirrhis ſoluendis, quoniam nondum effoeta naturae medicatricis videbatur virtus, opportuniſſimum aeſtimatum eſt, de quo nunc diſputauimus, toſtarum glandium infuſum. Proinde huic vſui quotidie deſtinata eſt glandium vncia, adiuncta dimidia Coffeae parte. Poſtquam in alteram hebdomadem potauerat aegrota hunc potum, inſtantium catameniorum non ſucceſſit profluuium, frequensque ſuperuenit cardialgia. Tantam autem hoc in remedio ponebat fiduciam, vt vſus eiusdem neutiquam per aliquot hebdomades intermitteretur. Inter haec autem et aluus, alioquin obſequioſa, ſaepe numero per aliquot dies officio ſuo non eſt functa. Acceſſerunt quoque ſpirandi difficultates cum ventriculi expanſione. In ipſis ſcirrhis nulla conſpicua animad-

 uerſa



uersa est mutatio: nisi quod in iisdem quasi pungentem aegra sentiret dolorem. Denuo ingruens mensium periodus sine successu est elapsa. Sed subsecuta septima ab instituto glandium vsu hebdomade pedes oedemata occupauerunt, faciem vero color tumorque cachecticus. Vrina tunc erat cruda et aquosa, aluus frequenter infrequens. Turgebat simul abdomen, appetitus ciborum vix vllus, ventriculi dolor, cum ructuum copiosa explosione, grauis, et a parco pastu ingrauescens. Scirrhi tunc temporis increscentes, neque minus, ac antea, duri. Sed glandes consumere natam se putauit aegra. Cum autem tertium quoque vterina deficeret purgatio, et ante dicta symptomata in dies magis magisque augerentur, tandem, pertaesa futilis remedii aegrota, sua sponte ab eius vsu sibi temperauit. Quibus deinde remediis sanitas miserae huius puellae sit redintegrata, solutique scirrhi, nunc non attinet dicere, neque instituti interest nostri. Haud felicior euentu fuit illa exspectatio comparandi ex glandibus auxilii, quam conceperat amicus quidam noster, in proxima Lusatia rure degens: cuius filius, duodeuiginti annos iam supergressus, nescimus, qua de caussa, iam ex sesquianno strumosos in collo acceperat tumores; ceteroqui sanus, nisi quod perpetuo, quae huiusmodi morbi esse solet indoles, a

leuissimo

leuiſſimo corporis motu nonnihil anhelaret. Lecta igitur illa celeberrimi SCHROEDERI ad illuſtrem BALDINGERVM epiſtola mirifice ſibi gratulatus eſt ſollicitus pater de efficaci quodam remedio, quo enatas filio ſuo ſtrumas certiſſime depellere poſſet. Iniit ergo cum medico ſuo familiari hac ſuper re conſilium: qui et lubenter annuit, et quotidiano vſui glandium toſtarum ſex drachmas, tribus Coffeae drachmis mixtas, conſuetoque more infundendas praeſcripſit. Mox autem tepidi, mox frigidi huius potus fuit vſus. Magna cum ſalutis exſpectatione haec ipſe bibit aeger. Prioribus binis hebdomadibus nulla ſtrumarum obſeruata eſt mutatio: ſed media circiter tertia hebdomade plures in collo glandulae intumeſcere, antiquiores vero iſti tumores magis indurari coeperunt. Ad haec etiam, quae alias erat naturae obſequioſa, aluus tardior et in dies magis magisque infrequentior eſt facta, nec priſtina illa conſtans ciborum appetentia perſtitit. Viuidum quoque et roſeum faciei colorem manifeſto leucophlegmaticus diſpulit pallor. Hac ergo re perterriti, pater et filius, et adhuc peiora timentes, ſuibus permiſerunt glandes, et ancipiti abſtinuerunt medicamento. Iſtis deinde ſtrumis, altero anno poſt, liberatus eſt aeger, doctiſſimi cuiusdam medici Dreſdenſis conſilio remediisque tranſmiſſis vſus:



quorum vero notitia ad nos non peruenit. Addere liceat huic exemplo aliud, itidem memorabile; ex quo intelligant clinici, in haemorrhoidum cum aliis morbis abdominalibus complicatione haud opportune glandium commendari vſum. Vir quidam litteratus, et in vicino quodam oppido dicendi iuris regendaeque ciuitatis munere fungens, eaque de cauſſa ſaepe numero ad curas, ſollicitudines, iracundiasque adductus, iam aliquot abhinc annis ex hypochondriorum laborauerat cruciatibus frequentibusque haemorrhoidibus, cum fluentibus, tum caecis. Nunc autem, vix quinquagenos ſupergreſſus annos, per octo menſes integros nullum expertus erat haemorrhoidum profluuium, ſolis ſuperſtitibus ad anum tuberculis varicoſis. Quae dum fierent, ſenſim abdomen turgere et a flatibus vehementer diſtendi coepit. Ergo continui fere aderant ructus atque borborygmi, aluique conſtipationes. Arteriarum pulſus magni erant, pleni durique; lotium crudum; inaequales per ſomnum ſudores. Vena inter haec in pede bis ſine ſalubri effectu eſt ſecta. Pedetentim ingruebant frequentes dolores colici cardialgicique, dyſpnoeae, et aſthmata. Tunc ipſi a medico, quo familiariter vtebatur, imperatus eſt glandium, quem diximus, vſus. Sed vix menſis praeterierat, ex quo huic remedio locus fuit,

cum

cum vniuerſum aegroti corpus hydrops intercus occuparet, et cetera iſta omnia ſymptomata ſummum caperent incrementum. Quae poſtea acciderunt, nondum reſciuimus: Berolinum enim profectus eſt aeger, experturus, vitamne, an mortem, Berolinenſes medici in ſinu gerant? Vtram reportaturus ſit, nunc noſtra non refert: hoc autem noſtri intereſt voti, vt, cui nunc finem imponimus, commentationem noſtram aequi bonique conſulant beneuoli lectores.

EMENDANDVM.

Pag. 5. l. 14. pures *lege* plures.



TERENTIVS.

Obſequium amicos, veritas odium parit.